

et rectitudo iudicii naturalem sequens ratio-
nem. Baldus. in l. *Omnes populi*. n. 49. ff. *de*
Justit. et jur. Barbosa d. *Axiomat.* 15. nu-
mer. 5.

§ XVII.

DE REGULIS IN INTERPRETATIONE LEGUM CORRIGENTIUM, EXORBITANTIUM, PŒNALIUM, SEU
ODIOSARUM, ATQUE FAVORABILIUM OBSERVANDIS.

419. XI. *Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori.* — Regula XI Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori. Desumitur hoc ex l. *Præcipimus*. C. *de Appellat.* ibi: « Quidquid autem hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum, constitutionumque regulis omnes relictum intelligant. » Ad idem facit textus l. *Si vero* § *De viro*. ff. *Soluto matrim.* ubi summarium ex Bartolo sic habet: « Provisio legis contra jus commune non extenditur ultra illud, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio. » Idem confirmatur ex eo: quia correctio legum, utpote odiosa non facile est præsumenda: simulque « expedit concordare jura juribus, et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari, » ut dicitur in c. *Cum expediat*, 29. de *Elect.*, in § 6. Et merito, ne alioquin jura, tot vigiliis fabricata, unico verbo tollantur, et quidem adhuc dubio, neque istud exprimente, c. *Ecclesia vestra*, 57. de *Elect.*

420. *Lex nova generaliter loquens distinguitur secundum leges antiquas speciales. Idemque dicendum de statutis.* — Inferitur proinde cum Glossa § *Sed hodie*. vers. *Pro qualitate*. Instit. *de Satisfactio*. et alia Glossa l. *sciendum*. vers. *Non compelli*. ubi Jason, num. 4. et 5. Bartolus et alii ff. *Qui satisfacere cogantur*, quod lex nova, quantumcumque generaliter et indistincte loquens, tamen debeat intelligi, ac distingui secundum leges antiquas speciales: et similiter, quod lex nova generaliter corrigens, non intelligatur corrigere leges, quæ in casibus specialibus loquuntur. Atque id ipsum etiam esse notandum, et observandum in statutis, et reformationibus noviter factis, adeo, quod semper eorum interpretatio ita habeat fieri, ne sequentia corrigant præcedentia, si his expresse non contradicant, præter Bartolum, et Jasonem, ubi supra, tradit card. Tuschus, litt. I. conclus. 330 n. 24. Barbosa *Axiomat.* 60. n. 2. citans insuper

Romanum consil. 392. n. 23. Verum de materia præsentis regulæ, ac fallentis ejus plura inferius § 49. agendo « De revocatione legum seu Constitutionum, » præsertim a numer. 491, et num. 500 et seqq.

421. XII. *Leges exorbitantes a jure communi sunt stricte interpretationis, nec producende ad consequentiam.* — Regula XII. Leges exorbitantes a jure communi sunt stricte interpretationis, neque producende ad consequentiam. Patet hoc ex reg. 28. juris in 6. ibi: « Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. » Et reg. 78. eod. in 6. « Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum, » cum concordantiis. Hinc c. *Is qui, de Filiis presbyt.* in 6. inquit Pontifex: « Prætextu dispensationis hujusmodi, quam exorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi. » Quibus verbis etiam hujus regulæ ratio redditur; quia nempe ea, quæ a jure communi exorbitant, censentur odiosa. Unde Fagnanus in c. *Cum ad nostram*. n. 29. de *Elect.* post Glossam. in c. *Constitutionem*, vers. *Prorogamus. de Regularib.* in 6. et Bartolum in extravag. *Qui stat rebelles*. § *Transit*. n. 3. sic. ait: « Extensio non fit de casu ad casum, etiam ex identitate rationis, in his, quæ exorbitant a jure communi. » Concordat l. *Si vero*, § *De viro*. ff. *Soluto matrim.*

422. *Limitatur in æquiparatis.* — Limitatur hæc regula primo in æquiparatis. Quia enim æquiparatorum eadem est dispositio, arg. l. 1. ff. *de Legatis* I. et notat Glossa c. *Si postquam*. vers. *Provisione de Election.* in 6. Hinc regulariter fit extensio de uno æquiparato ad aliud, etiam in pœnalibus exorbitantibus et correctoriis. Abbas, lib. I. consil. 75. n. 6, allegans textum c. *Quamvis* juncta Glossa n. *de Election.* in 6. et l. *Qui filiabus*. ff. *de Legatis* I. card. Tuschus, litt. E. concl. 308. n. 5. Barbosa, *Axiomat.* 14. per totum citans alios.

423. *Et ob identitatem rationis in lege expressæ.* — Limitatur ulterius ob identitatem rationis in lege expressæ, juxta amplius dicenda num. 429. et seqq. ac tradit Farinacius part. I. *Fragment.*, litt. E. n. 127. et 128. Ubi nu. 120 et 126. addit, quod extensio in exorbitantibus facilius admittitur, quam in correctoriis: nam « *Exorbitans dispositio*, » dicitur illa, quæ non in totum, sed in aliquo, jus commune corrigit: at vero *Corrigens* appellatur, quando illud in totum corrigit: Et hinc non mirum, quod jus correctorium

difficilius extendatur, quam jus exorbitans, arg. c. *Auditis*, juncta Glossa vers. *Jure minoris. De in integrum restitut.*

424. — *Ac ubi agitur favore publicæ utilitatis.* — Limitatur tertio in illis ubi agitur de favore publicæ utilitatis, arg. l. *Cætera*, § *Sed et si quis*. ff. *de Legatis* I. Alexander consil. 216. num. 38 lib. II. post Bartolum, Imolam, et alios. Card. Tuschus, litt. E. concl. 665. n. 7. Farinacius, loc. cit. n. 81. post Everardum, in loco *A ratione legis larga*. n. 51 et alios.

425. *Item ob favorem animæ, seu causæ piæ.* — Limitatur rursus data regula ob favorem animæ seu causæ piæ. Siquidem, quod fiat extensio etiam in exorbitantibus favore animæ, nec non favore causæ piæ, ut puta favore religionis, seu favore relictorum pro anima defuncti, pluribus auctoritatibus firmat Farinacius, loc. cit. numer. 108 et 109.

426. *Et ratione evitandi absurdi. Exorbitans, et corrigens dispositio, quæ?* — Limitatur etiam ratione evitandi absurdi. Nam, quod fiat extensio, ubicumque ea non facta resultaret absurdum, v. g. quod durius ageretur cum ecclesiis, vel ecclesiasticis personis, contra cap. 1. *de Dolo et contum.* cum concordantiis, tenet Alexander d. consil. 216. n. 37. atque desumitur ex l. *Servius*. ff. *Quod vi aut clam*. ubi similis fit extensio, « ne melioris conditionis sint stulti, quam periti, » prout loquitur textus. Huc servata proportionem possunt addi quædam aliæ limitationes, quæ infra num. 508. et seqq. afferentur loquendo « De revocatione legum, » harumque correctione. (ADNOTATIO XXI.)

427. XIII. *Lex pœnalis, et omnis alia odiosa in dubio est stricte interpretanda.* — Regula XIII. Lex pœnalis, et omnis alia odiosa, in dubio stricte interpretanda est, nec regulariter extendenda ultra casum, et personas expressas. Constat hæc regula ex l. 42. ff. *de pœnis*, ibi: « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ. » Concordat regula 49. *de Reg. Jur.* in 6. ibi: « In pœnis benignior interpretatio est faciendæ: » juncta regula 15. eod. « Odiâ restringi, et favores convenit ampliari, » cum concordantiis.

428. *Secus, si verba ejus sint clara. Pœnæ quomodo sint æstimandæ, ac temperandæ.* — Dicitur notanter primo, *in dubio*. Quia si verba legis pœnalis, aut alterius odiosæ, ejusque mens adeo clara sunt, ut salva ratione recti sermonis non possint aliam interpretationem

habere, lex illa erit observanda; prout desumitur ex l. *Prospexit*. ff. *Qui, et a quibus manumissi*, etc. ibi: « Quod quidem per quam durum est, sed ita lex scripta est. » Quamvis etiam circa hoc debeat bene notari illud, quod habetur l. *Pedius*, ff. *de Incendio, ruinas naufrag.* ibi: « Et omnino, ut in cæteris, ita in hujusmodi causis, ex personarum conditione, et rerum qualitate, diligenter pœnæ sunt æstimandæ; ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa postulabit. » Concordat alius elegans textus in l. *Respicendum*. ff. *de Pœnis*, ubi notabili doctrina iudicibus data, quomodo in causis criminalibus procedere debeant, subjungitur: « Plane in levioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent: in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. »

429. *Fallit regula ob identitatem rationis in lege expressæ.* — Dicitur ulterius. « Nec regulariter extendenda ultra casum, et personas expressas. » Quia, licet hujusmodi extensio regulariter, ac ordinarie non sit faciendæ in materia odiosa et pœnali, sicut nec in iis, quæ exorbitant a jure communi, ut proxime dictum: nihilominus ista regula fallit inter alia ob identitatem rationis in lege expressæ. Siquidem extensio legis non tantum favorabilis, sed etiam odiosæ, aut pœnalis, ob adæquatam rationis in lege expressæ similitudinem, seu identitatem, tam intra, quam extra iudicium, recte fieri potest, ac debet: uti notavit Abbas Panormit. lib. I. consil. 75. n. 6. generaliter docens, quod ubi locum habet mens et ratio legis, debeat habere locum ipsa lex, sive sit pœnalis, sive correctiva: regulatur enim lex a ratione, et mente legis, quæ idem est, ac ratio legis, ut loquitur Dynus, in reg. *Certum est*. n. 12. *de reg. jur.* in 6. sicut regulatur corpus ab anima. Idem docet Everardus in loco, *A ratione legis larga*, n. 45. card. Tuschus litt. E. concl. 665. ubi cum pro conclusione statuisset, regulariter odiosa et exorbitantia, seu ea, quæ sunt stricti juris, non extendi, c. *Odia*, etc. *Quæ a jure. de reg. jur.*, in 6. protinus inter alia num. 4. hoc limitat, quando ratio est expressa: quia ubicumque militat eadem ratio, etiam fit extensio ad casus non expressos. Alexander, lib. II. consil. 216. n. 33. post Glossam in Clem. 2. §. *Eligatur de Election.* et alios.

430. *Declaratur hoc exemplis.* — Idem declaratur exemplis. Sic quippe in c. *Si postquam*, 33. § *Si vero, de Elect.* in 6. Constitutio

apostolica pœnalis, requirens, quod electus quando ad Sedem apostolicam contra electionem ipsius appellatum fuit, ad ipsam veniat, et alioquin electio sua viribus omnino evacuetur: habet locum non tantum in non venientibus, ut sonat littera, sed etiam « ex sui mente exigit, quod electus usque ad finem negotium prosequatur, » ac proinde constringit quoque de Romana curia sine licentia recedentes: et hoc ob adæquatæ rationis identitatem. Similiter l. *Si quis id.* 7. ff. *de juridict. omn. judic.*, pœna per legem statuta in eos, qui prætoris edictum in albo propositum corrupissent, ob sententiam, seu mentem edicti ex identitate rationis desumptam, extenditur ad illos, qui ejusmodi edictum, dum proponitur, vel ante propositionem corrumpunt, haud obstante, quod in his cessent verba legis. Hoc ipsum patet ex c. *Per nostras.* 26. *de jure patronat.* ubi patronus clericus non potest seipsum præsentare ad personatum alicujus Ecclesiæ, eo quod « nullus sese ingerere debeat ecclesiasticæ prælationis officiis: » quæ ratio cum æque militet in aliis beneficiis, hinc dicta dispositio extenditur ad omnia beneficia ecclesiastica, Barbosa, lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XII. n. 194. citans Rotam « in Regiensi jurispatronatus 5. maii 1625. coram Pirovano. »

431. *Et idem est, quando unica tantum ratio legis afferri potest.* — Solum adde, quod licet in odiosis extensio ob identitatem rationis, præcipue tunc locum habeat, quando ratio legis, seu dispositionis, in ipsamet lege exprimitur; ut accidit in cit. cap. *Per nostras.* Nihilominus dicta extensio, propter identitatem rationis procedat etiam, quando ratio illa est unica, ita videlicet, ut non nisi unica afferri possit: hoc ipso enim, quod non nisi unica ratio legis afferri possit, ea habetur pro sufficienter expressa. Felinus c. *Translato*, n. 11. *de Constitut.* Jason in authen. *Quas actiones*, n. 22. sicque paria sunt, rationem esse expressam in dispositione, et non nisi unicum afferri posse. Glossa, fin. l. *Quamvis*, et ibi. Baldus, et Paulus de Castro. C. *de Fideicommiss.* Alexander consil. 129. num. 5. lib. 7. Jason auth. *Quas actiones*. num. 22. C. *de Sacros. Eccles.* Farinacius, part. I. *Fragment.* litt. E. num. 180. et alii ab ipsis relati.

432. *Ratio unica legis, quæ? Et quid in dubio dicendum?* — Porro ratio unica censetur esse illa, propter quam ad sic statuendum princeps motus fuit. Et quando de hoc est

dubium, tunc stante dubio non præsumitur esse ratio unica, ut sit licita extensio, sed multiplex. Jason, cit. num. 22. et Farinacius, loc. cit. num. 182. cum communi: quamvis plurimum circa hoc valeat arbitrium judicis, per ea, quæ allegat Everardus, loco. *A ratione legis larga.* n. 23. apud eundem Farinacium.

433. *Verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu.* — Ex allegata regula de legibus odiosis stricte interpretandis recte inferitur, quod verba legis pœnalis intelligi debeant cum effectu; ut can. *Hæc autem verba. de Pœnit.* dist. 1. ibi: « *Hæc autem verba cum effectu accipimus;* » juncta Glossa ibidem, mox subjungente, « voluntatem, sive conatum non puniri sine effectu; » ut in can. « *Si quis suadente diabolo.* » 17. q. 4. ubi excommunicationem in percussores clericorum latam non incurrit, qui voluit clericum percutere, sed non potuit: nam « cogitationis pœnam nemo patitur, » can. *Cogitationis de pœnit.* dist. 1. Intellige, ab homine, sed a Deo bene, ut explicat Glossa ibidem Concordat. l. 1. ff. *Quod quisque juris etc.* ubi et ratio hujus redditur, dicendo: « Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullam habuerit effectum? »

434. *Nisi sint casus excepti.* — Intellige, nisi sint casus excepti a lege, vel canone; et pœna etiam ipsi conatui, seu voluntati, in opus tamen externum prodeunti, sit decreta. Sic etenim in l. *Quisquis c. Ad legem Juliam majestatis*, habetur constitutum de crimine læsæ majestatis, ibi: « Eadem etiam severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt. » Et l. Divus Adrianus ff. *Ad legem Corneliam de sicariis*, ubi dicitur: « In maleficiis voluntas spectatur, non exitus. » Concordat textus l. *Si quis non dicam.* C. *de Episcop. et cleric.*, ubi summarium ait: « In atrocissimis delictis punitur affectus, licet non sequatur effectus. » Et Glossa cap. ult. vers. *Conatus de Sponsalib.* citans alios casus in quibus punitur voluntas, sive conatus delinquentis, quamvis fuerit sine effectu operis.

435. *XIV. Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt adjuvandæ.* — Regula XIV. Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt adjuvandæ: sive, in materia favorabili verba accipi debent secundum amplam suam significationem. Fundatur hoc in vulgata illa reg. 15. juris in 6. « *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* » Intellige, nisi aliud ex-

primatur, aut aliud appareat ex verbis legis, seu alterius dispositionis; simulque exinde illusio statuti, seu dispositionis sequi non possit; prout notatur c. *Si Sententia*, 16 etc. *Si civitas, de Sentent. excomm.* in 6.

436. *Declaratur hoc exemplis.* — Sic istud vocabulum *Populus* in dubio, ac nisi aliud exprimitur, in materia pœnali, et odiosa non comprehendit clericum, d. c. *Si sententia*, ubi interdicto populo non censetur interdictus clericus, nisi aliud sit expressum: at in materia favorabili etiam comprehendit clericum. Similiter in materia odiosa nomine clericorum non comprehenduntur episcopi, c. *Quia periculosum* 4. *de Sentent. excomm.* in 6; neque canonici, aut alii in dignitate ecclesiastica constituti, c. *Sedes apostolica*, 15, *de Rescript. etc. Statutum*, 22, *de Election.* in 6; neque religiosi utriusque sexus, juxta Glossam Clem. I. *De splend. neglig. prælat.* Angelum, v. *Clericus*, l. num. 1; Sylvestrum, ibid. l. num. 1; Sa num. 1; Armillam, et alios; sed soli clerici, sæculares inferiores. Secus est in materia favorabili. Sic etiam in materia favorabili, v. g. in privilegio non solvendi decimas personæ ecclesiasticæ concessio, nomine decimarum veniunt novalia, c. *Ex parte.* 27. *de Decimis*: secus fit in materia odiosa, qualis est præscriptio; unde qui præscribit decimas contra Ecclesiam non præscribit novalia, c. *Cum contingat.* 29. eod. Insuper nomine territorii in favorabilibus comprehenduntur etiam loca exempta intra illud existentia: non item in odiosis, et onerosis. Felinus c. *Rudolphus*. num. 18. *de Rescript.* post Paulum de Castro, consil. 132. Layman cit. c. *Rudolphus*. num. 3. et 4. ubi alia exempla adducit. Verum pro majori horum intelligentia dicendum est.

437. *Quenam materia censeatur favorabilis, et quæ odiosa?* Quæres, quenam materia censeatur favorabilis, et quenam odiosa? Ratio dubitandi est: quia plerumque, dum uni quidpiam favorabiliter conceditur, id alteri adimitur: et consequenter, quod uni est favorabile, alteri accidit odiosum. Ed hoc videre licet in omnibus propemodum materiis, quæ non sunt mere indifferentes, abstrahendo videlicet tam a favore, quam ab odio.

438. *Quid, si favor et odium ab invicem possint separari?* Quotiescumque favor et odium secerni atque ab invicem separari possunt, censetur ejusmodi materia, lex, seu quæcumque alia dispositio, partim favorabilis, et partim odiosa; ac proinde, qua parte est fa-

vorabilis, debet late explicari; et qua parte est odiosa, debet censeri strictæ interpretationis, sicque restringi. Ita Glossa in l. *Venia v. Liberis. C. De injus vocand.* ubi ait: quod ibidem « ex parte patroni est favor, et ideo prorogandus; ex parte liberti est odium et ideo restringendum. » Glossam sequuntur ibidem Bartolus, Baldus, Jason, n. 4. et Covarruvias, lib. I. *Var. resol.* 11. n. 5; Sanchez, lib. I. *de Matrim.* disp. 3. n. 5, et alii. Nam, qui odia restringi, et favores convenit ampliari, quoties inter se possunt separari, merito favor ut favor, et odium ut odium assumi debet.

439. *Vel non possunt sic separari?* Resp. II. Quando constitutio partim est favorabilis, partim odiosa, simulque favor ab odio secerni nequit, tunc ad dignoscendum, an ea sit censenda favorabilis, necne, oportet attendere ad principalem intentionem disponentis, seu legislatoris. Et si quidem lex principaliter in favorem alicujus statuta sit (quo tum ex verbis ipsius, tum ex materia subjecta desumi poterit) lex, sive constitutio, aut quævis alia dispositio censetur omnino favorabilis, sicque late interpretanda, juxta Glossam in c. *Statutum v. Numerandum. de Præbend.* in 6. et aliam Glossam c. *Sciunt cuncti. v. Alios. de Elect.* in 6. haud obstante, quod in aliquod odium, seu damnum tertii redundet. Exemplum hujus extat in c. *Si propter.* 10. *de Rescript.* in 6. ubi Pontifex concedebat episcopo cuiusdam fructus primi anni beneficiorum in sua diocesi vacantium ad persolvenda debita: nam quia præcipua Papæ intentio fuit specialem episcopo illi favorem exhibere, ut liquet ex illis cit. cap. verbis: « De speciali gratia concedimus: » neque favor hic separari poterat ab onere beneficiis vacaturis imposito; constitutio illa erat simpliciter favorabilis, juxta Glossam, ibidem v. *Primi anni*; ac proinde late explicanda, ut comprehendat etiam dignitates, v. g. decanatus. præposituras vacantes. Layman cit. cap. *Si propter.* n. 3.

440. *Vel non possunt sic separari?* Quod si vero principale intentum constitutionis tendit in alicujus odium, seu pœnam, constitutio censetur simpliciter odiosa, estque stricte interpretanda, haud obstante, quod simul cedat in aliqualem favorem tertii. Si quidem ex primario suo fine, seu intentione statuentis, mensuranda et dijudicanda est ipsamet dispositio, juxta Glossas ubi supra, ac tenet Abbas in c. *Non dubium.* n. 3. juncta additione, v. *Favorem. de Sent. excommu-*

Bartholus, et Paulus de Castro in l. *Si quis nec causam*, § 1. ff. *Si certum petatur*, per illum textum dicentes, attendi debere id propter quod principaliter factum est statutum. Covarruvias, Sanchez, loc. cit. et alii. Sicut in simili, an contractus, sive obligatio ex eo proveniens, sit iudicanda personalis, vel realis, inspiciendum esse, non quid accessorie, sed quid principaliter actum sit, passim notant doctores; idque desumitur ex l. *Rogasti*, et l. *Si quis nec causam*, ff. *Si certum petatur*.

441. *In dubio de principali intentione constitutionis, magis attenditur favor, quam odium.* — Resp. III. Quando non apparet, an principaliter constitutio sit facta propter favorem, an vero propter odium, tunc magis attenditur favor, quam odium. Ita Abbas cit. c. *Non dubium*, nu. 3. juncta addit. *Y. Favor*. Ratio est: quia «semper in dubiis benigniora præferenda sunt», l. *Semper*, § 7. ff. *de Reg. jur.* eum similibus: sicque in tali casu, ubi odium a favore separari nequit, haud immerito non fit stricta interpretatio.

442. *Leges penales cur non censeantur favorabiles, licet respiciant bonum commune?* — Objicies contra prædicta claritatis gratia. Ex dictis, videtur sequi, quod omnes leges etiam penales, et scelera punientes, sint censendæ favorabiles: atqui hoc videtur absurdum; ergo. Prob. seq. Omnes leges, etiam penales, principaliter respiciunt favorem, seu commune bonum reipublicæ utpote cujus interest, ne crimina remaneant impunita, c. *Ut famæ*, § 35, *de Sentent. excomm.* cum concordantiis: atqui lex, quæ principaliter respicit favorem, censetur favorabilis; ergo. Resp. neg. seq. cum majori suæ probationis. Licet enim leges penales respiciant bonum commune reipublicæ, in quantum ad hoc ultimate tendunt, ac propter illud procurandum crimina puniant (sic enim bonum commune respicere, convenit quibusvis legibus, can. *Erit autem lex*, dist. 4), nihilominus earum finis primarius, et principaliter intentus, non est bonum commune reipublicæ, sed punitio criminum, utpote quæ ab illis per se intenditur, et adhibetur veluti medium aptum ad consequendum bonum reipublicæ, secundario, remote, et consecutive simul intentum. Et hinc leges penales, quæ tales sunt odiosæ, et strictæ interpretationis, sicque regulariter requirunt crimen ipso opere consummatum, et cum effectu.

443. *In ipsis debet separari favor ab odio;*

idque exemplificatur. — Solum adde, quod si aliqua ratione in legibus penales possit favor separari ab odio, oporteat, ut hinc stricte, illinc late interpretentur. Prout v. g. can. *Si quis suadente diabolo* 17. q. 4, ex parte juræ strictæ accipitur, videlicet pro reali manuum injectione in clericos opere consummata, et non verbali tantum; ex parte personarum autem, in quorum favorem canon ille statutus fuit, interpretatur large, ut etiam monachos conversos, moniales; imo et novitios, comprehendat. Covarruvias, cit. resol. 14, n. 5, et alii.

444. *XV. In beneficiis plenissima est interpretatio faciendæ.* — Regula XV. In beneficiis plenissima est interpretatio faciendæ. Habetur clare in c. *Cum dilecti, de Donat.* ibi: «In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio faciendæ.» Et c. *Olim, de Verb. signif.*, ibi: «Cum beneficia principum sint interpretanda largissime,» cum concordantiis hic a Glossa relatis.

445. *Beneficium in communi, quid et quomodo dividatur.* — Intellige istud cum Fagnano in cit. cap. *Olim*, n. 4, et seqq. de beneficio stricte sumpto, ac prout contradistinguitur a privilegio, quod est contra jus commune; et rescripto, quod est secundum jus commune. *Beneficium* siquidem in communi, ac ut genus est, aliud non est, quam benevola actio tribuens gaudium cupientibus. Et dividitur in *beneficium* proprie, seu stricte sumptum, quod est benevola actio, sive liberalitas quædam concessa sine alterius præjudicio præter jus commune: ac in *Privilegium* quod est benevola actio concessa contra jus commune: et in *Rescriptum*, quod est benevola actio concessa secundum jus commune. Impetratur enim rescriptum, præsertim justitiæ, ad juris observantiam, ut impetranti fiat justitia: et hinc rescripta contra jus elicta non valent, can. *Rescripta*, 25 q. 2. et suo loco amplius dicetur.

446. *Regula procedit in beneficiis stricte sumptis.* — Itaque allata regula est intelligenda de beneficio proprie, seu stricte sumpto, nempe quando aliquid conceditur ex liberalitate concedentis, non ad præjudicium alterius, vel juris, sed vel ad nullius, vel ad præjudicium concedentis tantum. Et hoc modo beneficium contra concedentem est plenissime interpretandum: quia si voluisset concedens, potuisset expressisse, ac quidpiam excepisse, ut notatur in c. *Quia*

circa de privileg. ibi: «Cum nihil exceperit, et potuerit excepisse; ac in beneficiis, plenissima sit interpretatio adhibenda.»

447. *Fallit tamen in rescriptis ad beneficia ecclesiastica.* — Excipe tamen rescripta ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quæ sunt strictæ interpretationis, text. c. *Quamvis, de Præbend.* in 6. ibi: «Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio faciendæ: litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint ambitiosæ, restringi.» Hujus exemplum habetur in c. *Cui de non*, 27, eod. in 6, ubi cum mandatur cuiquam non sacerdotalis, vel integra, aut certi valoris conferri præbenda; virtute talis mandati apostolici (cujus fines diligenter observari oportet) non potest eidem, etiam volenti, conferri præbenda sacerdotalis, vel dimidia, aut aliqua minoris valoris.

448. *De aliis regulis. Remissive.* — Præter hactenus allatas, aliæ plures possent adduci regulæ circa interpretationem constitutionum ecclesiasticarum, legum civilium, et statutorum particularium locorum, aliorumque dispositionum observandæ; de quibus fuisse card. Tachus, Barbosa aliique passim. Verum præmissæ sunt cæteris usu frequentiores, magisque scitu necessariae, ac proinde non immerito specialiter declaratæ, cæteris ad propria loca remissis, ac præsertim ad titulum, *de Regulis juris*, inscriptum.

§ XVIII.

DE DISPENSATIONE LEGUM, SIVE CONSTITUTIONUM.

449. *Dispensatio, quid?* — Queritur I. Quid sit dispensatio? Resp. I. *Dispensatio* est juris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo, qui jus habet dispensandi. Ita Glossa in can. *Requisitis*, 1. q. 7. *Y. Ut plerisque*; Angelus, *Y. Dispensatio*, et alii. Quæ quidem definitio convenit non solum dispensationi factæ in jure communi canonico, vel Cæsareo, sed etiam in legibus municipalibus; imo etiam illi dispensationi, quæ fit per ipsum principem, seu legislatorem in lege propria. Et ratio est, tum quia leges quoque municipales communem civium utilitatem, sicque jus aliquod pluribus communem respiciunt; adeoque dispensatio in ipsis, suo modo recte dicitur *Relaxatio* alicujus juris communis; tum quia princeps sine causa dispensans peccat, adeoque et ipse dispensaturus procedere debet cum causæ cognitione, ne

peccati periculum, ac reatum incurrat.

450. *Facta sine causa, dissipatio est, non dispensatio.* — Dicitur notanter, «cum causæ cognitione.» Nam, ut inquit sanctus Bernardus, lib. III. *de Considerat.*, paulo ante finem, allegans verba Divi Apostoli, I Corinth. IV, 2. *Queritur inter dispensatores, ut fidelis, quis inveniatur.* «Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.»

451. *Dispensatio est vulnus juris, ac proinde stricte accipiendæ.* — Resp. II. *Dispensatio* recte vocatur *vulnus juris*, quia per eam jus commune vulneratur, can. *Ipsa pietas*, 23. q. 4. ac notat Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 33, n. 7, et Fagnanus, c. *Cum in cunctis*, n. 36, *de Election.* Et hinc, quia omnis recessus a jure censetur odiosus, etiam dispensationes sunt odiosæ, ac stricte accipiendæ, cap. I, § fin. *de Filiis presbyt.*, in 6. Atque idcirco in eis non valet argumentum a majori ad minus, vel ad simile. Barbosa, loc. cit., num. 10, cum pluribus aliis, quos citat, et Fagnanus, in c. *Quia in tantum*, num. 20, *de Præbend.* post Hostiensium in c. *Postulasti*, num. 12, *de Rescript.* Quamvis bene extendantur ad accessoria, connexa, vel necessario consecutiva ex eo, super quo est dispensatum, juxta Glossam can. *Si quis in clero*, 7. q. 1. *Y. Solemnibus*, ubi observat, quod dispensatus super pluralitate beneficiorum, censeatur etiam esse dispensatus super residentia. Concordat Glossa c. *Quia in tantum*, *Y. Plures*, et ibi Abbas num. 3. et Fagnanus, num. 23, *de Præbend.*; Barbosa, ubi supra, n. 8, et alii.

452. *Potestas dispensandi e contra est favorabilis, et late interpretanda.* — Nec obstat, quod potestas dispensandi, quæ nulli est præjudicialis, nisi ipsi concedenti, sit favorabilis, et late interpretanda. Resp. enim disparitatem esse inter dispensationem et potestatem dispensandi: etenim dispensationes sunt vulnus juris, eique afferunt præjudicium aliquod; dicta autem potestas dispensandi est merum beneficium principis, ac proinde latissime interpretanda, arg. c. *Mandato*, 46, juncta Glossa l. *de Simonia*, et notat ibidem Abbas Panormit. n. 3, et 5. ac Fagnanus, n. 33, allegans communem.

453. *Quomodo hæc nulli sit præjudicialis, nisi concedenti.* — Verum hæc ipsum procedit